



Büchert. miscell. J. D.

C. F. R. Vetterlein, 1810.

Sammelband! (no.)

ccc

Rubr. XVIII, Nro. 25. E^c

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.

1)
2)
3)
4)
5)
6)
7)
8)
9)
10)
11)
12)
13)
14)
15)
16)
17)
18)
19)
20)
21)
22)
23)
24)
25)
26)
27)
28)
29)
30)
31)
32)
33)
34)
35)
36)
37)
38)
39)
40)
41)
42)
43)
44)
45)
46)
47)
48)
49)
50)
51)
52)
53)
54)
55)



DISSERTATIO
HISTORICO - PHILOLOGICO - THEOLOGICA
De

VERSIONE NOVI
TESTAMENTI,
BARBARO-GRÆCA,

Quam
DEO DANTE,
SUB PRÆSIDIO

JOH. MICH. LANGII,
Theol. Doct. & Prof. Publ. Ordin. h.t.
suae Facultatis Decani, nec non Verbi Divini
Ministri,

H. L. L. C.

d. XXI. Octobr. Anno MDCCV.

Disquisitioni publicæ subjiçiet

JOH. MICHAEL DOEDERLINUS,
Weissenburgo-Francus.

ALTDORF,
Literis Jodoci Wilhelmi Kohlesii.

PRELATIO
HISTORIA
VERSIONI NOVI
TESTAMENTI
D. MARCO CRISTO
D. O. CRISTO
I. MICHAEL LANGIUS
D. O. CRISTO
D. O. CRISTO

2





DISSERTATIO HISTORICO-PHILO-
LOGICO-THEOLOGICA

De

VERSIONE

NOVI TESTAMENTI
BARBARO-GRÆCA.

I.



Umanonita pridem orbi docto stiterimus Dis-
sertationum Historico - Philologi-
co-Theologicarum Trigam de Al-
corani variis Editionibus & Versio-
nibus; nemo nobis vertet vitio, si illis sub-
juxerimus Græcorum sub jugo Turcico gementium operam,
quam hoc & superiori seculo iidem **Novo Testamento**
impenderunt, in suam linguam Communem sive **Barbaro-**
Græcam illud transferendo & evulgando. Neque enim
hæc materia omnibus ex æquo perspecta habetur; unde non
indigna fuerit, quæ disquisitionem Academicam subeat, ut in-
ter eos, qui literas bonas profitentur, magis inclarescat.

A 2

II. Vix

II.

Vix opus esse arbitramur, ut pluribus moneamus, nos, quando de **Versione N. T. Barbaro - Græca** loquimur, **Barbaro - Græcissimum** aliter accipere, atque **MART. PETR. CHEITOMÆVS**, qui *Amstelodami 1646. Græco-Barbara Novi Testamenti, quæ Orientali originem debent, selegit, congeffit, notisque illustravit.* Ei enim Græco-Barbara sunt, quæ voces in N. T. à viris Θεοπνεύστοις usurpatæ, respectu Græciæ antiquæ, ignoræ erant: Sed hodierna Lingua Græco-Barbara, etiam quoad analogiam Grammaticam à Veteri Græca lingua differt, ut Textus plures in hac dissertatione adducti faciliè evinceant.

III.

„ **Novum Testamentum decreto & sumtibus Ordinum Generalium Belgii, in gratiam hodiernorum Græcorum, per columnas editum esse, ita ut ab una parte textus Originalis Græcus, ab alterâ ex adverso Translatio in dialectum recentem Græcam conspiciatur,** testis est **B. D. AUGUSTVS PFEIFERVS** in *Crit. Sacr. cap. XI. §. 14. p. m. 323.*

IV.

Et sanè sic se res habet. Prodiit enim dictum opus (etsi sine mentione loci impressionis) in forma quarta majori, *Anno 1638.* hoc Titulo Græco: Ἡ κοινὴ Διαθήκη ἔκκειται ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δὲ ὑλῶν τῆς ἐν ἡ ἀνθρώποις σάπιας, τότε θεὸν πρῶτον κει ἢ ἀπαρχαλάως ἐξ ἐκείνης εἰς ἀπλὴν διάλεκτον, διὰ ἔκκειται μακαρίτε κυρίως Μαζίμης, ἔκκειται Καλλιππολίτης γενομένη μετὰ φρασίς ἀμα ἐτυπώθησαν, ἔτα Χ Π Η Δ Δ Δ Π Ι Ι Ι. h. e. **Novum Testamentum Domini nostri Jesu Christi, bilingue, in quo ex opposito, hic quidem Divinus Originalis Textus, & citra**

citra ullam mutationem è regione, ex hoc in communem linguam, per beatum Dominum Maximum Calliupoliten facta Metaphrasis sanè edita habentur, anno MDCXXXVIII. Constat opus totum Alphabetis circiter 8½: niuidoque caractere Lectoribus sese commendat.

V.

In hac editione præter textum totius Novi Testamenti duplicem, duplex præfatio Barbaro-Græca exstat. Prior est ipsius Metaphrastæ, Maximi Calliupolitæ, in qua Lectorisuum institutum exposuit, & necessitatem metaphrasteων, ubi linguæ fuerint mutata, asseruit exemplo Esdræ & aliorum virorum piorum, post Babylonicam captivitatem viventium, & Paraphrases Bibliorum Ebraicorum parantium. Tandem totum opus ut edatur, in hac sua præfatione, prope finem commendat Ordinibus Fœderati Belgii his verbis: Καὶ διὰ τὰ γένη ἐτέτο τὸ θεάρετον ἔργον κοινόν, καὶ ὠφέλιμον εἰς τὸ δυσουχέες γένετ' Ἑλλήνων, πέντω εἰς τὰ ποδάρια τ' ἐκλαμπροτάτων καὶ εὐσεβεστάτων μετ' Κυρίων τ' ἀρχόντων τῆς θεοφρονητικῆς καὶ ἰσχυροτάτης Ἀριστοκρατίας τῆς Βελγικῆς καὶ διὰ τὰς οὐκ ἰσχυρὰς ἔθεθ' ἀνάγκαι καὶ ἀνιβολῶ, νὰ με κάμνεν ἐτέτην τὴν ἐνεργεσίαν, διὰ τὰ ἰσχυροτῆ τὸ παρὸν βίβλιον, εἰς δόξαν Θεοῦ καὶ οὐκ ὀδομήν τῆς ἐκκλησίας. Καὶ τέτο θέλει ἦσαι εἰς τὸ ἡμέτερον γένετ' ἀμνημόσυτον ἀϊώνιον τῆς αὐτῶν καλοκαγαθίας ἢ καὶ εὐνομίας. Τὴν ὁποίαν μᾶς εἰδείχετ' ὁ ἐκλαμπροτάτων αὐτῶν πρεσβυτὸς Κύριος, Κύριος Κρηθιλιανός, εἰς τὸν ὁποῖον θαυμάσια ἐπεχειρήσαμεν τὸ παρὸν. Καὶ διὰ τὴν τὴν ἐνεργεσίαν ἡμεῖς δὲν ἔχομεν νὰ πληρώσωμεν χάριν. Ἀλλὰ τὴν πληρωμὴν θελεῖσιν τὴν ἔχει ὁ Θεὸς ἔμωσ' ἀποδοῦναι εἰς, ὁποῖος μέλει νὰ πληρώσῃ με Ἰωκὴν (ἐκεῖνος, ὅστις ἴσ' ἔχει δανέζεν εἰς τὸν δούλον) εἰς τὴν δουλείαν παρθεσίαν. Καὶ ἡμεῖς θελοῦμεν ἴσ' ὡρακαλεῖ, νὰ τὸς διαφυλάτ.

ἢ φυλάτῃ ἐρρωμένους καὶ ὑγιᾶς, καὶ τὴν δεξιὴν αὐτῶν ἀπήμονα
 ἢ καὶ ἀυξομένην ἀκρι συλλεάας αἰῶν. h. e. Et ut hos opus
 DEO gratum, commune & toti Græcorum generi infelici utile,
 fiat, concido ad pedes Illustrissimorum & Pientissimorum meo-
 rum Dominorum, Ordinum divinitus custoditæ & Potentissima
 Reipublicæ Belgicæ & per DEI misericordiam precor & obsecro,
 ut mihi hanc præsent munificentiam, quod præfens liber prælo
 subjiciatur, in honorem DEI & Ecclesiæ adificationem. Hoc
 enim erit in nostram nationem aeternum monumentum ipsorum
 beneficentiæ & benevolentie, quam nobis probavit Illustrissimus
 illorum Dominus Legatus, Dominus Cornelius

Agæ, in quo confidentes, scriptum præfens offerimus. Et licet
 pro tanto beneficio nos non habeamus, quod rependamus; reci-
 pient tamen satisfactionem à DEO brabeuta, qui soluturus est
 cum fenore (ius, qui eidem hic argentum commodant) in secun-
 do adventu. Et nos invocabimus eum, ut ipsos præset validos
 & sanos, atque ipsorum Rempublicam incrementis perpetuis flo-
 rentem esse velit, usque ad sæculi consummationem. Fortè his
 verbis nixus est B. D. AVG. PFEIFFERVS, quando cit. loc. ad-
 seruit, decreto & sumtibus Ordinum Generalium Belgii hanc
 versionem fuisse editam. Constat aliàs de loco hujus primæ edi-
 tionis N. T. Barbaro Græci doctos viros admodum dissentire.
 Alii Genevam allegant; alii Antwerpam; alii Amsteloda-
 mum; alii alia loca. Multis probabilissimum videtur, in Bel-
 gio hanc editionem esse adornatam, sive Amstelodamum, sive
 alius locus prælum subministravit; quaquam B. Prof. KOENIGVS
 noster, meus quondam in his literis fidelissimus Præcep-
 tor, in ea fuerit opinione, Genevam potius, quàm urbem
 quandam Belgicam operam typographicam huic libro applicu-
 isse: saltem per §. XIV. certum est, Cyrilli Confessionem Græ-
 cam Anno 1633, Genevæ produsse.

V. Alte-

VI.

Altera sive Posterior Præfatio est famigeratissimi Patriarchæ Constantinopolitani, CYRILLI LYCARI, qui præcipuè à Reformatis, Martyribus annumeratus, eodem, quo hæc versio Barbaro-Græca impressa fuit, hoc est, anno 1638. malevolentium invidia succubuit, & laqueo, ex Tyranni Turcici furore, quem variis artibus homines Christianam religionem professi incenderant, mortalis esse desit. Placet ex hujus quoque Epistolâ Græco-Barbarâ illa huc transcribere, quæ historiam hujus versionis & editionis primæ juvant. Postquam enim etiam hic ipse metaphrasæων utilitatem & necessitatem declarasset, tandem hæc verba adhibuit: Τάτο γνωρίζοντάς το κη μετεφώτισα ἑοσην ὠφέλειαν ἡμπορεῖ νά περξενήση ὁ ἐκλαμπρῶτατῶ ἀφθένῃς Κορνήλιῶ Ἄγας, ἐπε τήν σήμερον ἐδῶ εἰς τήν Κωνσταντίνης πόλιν εἶναι διακλεισάρας τῶ ὑψηλοτάτων, κῆ ἐνδοξοτάτων ἀφθεντῶν τῆς Βελγικῆς, ἤγχεν τῆς Φλάνδρας, ἔχωντας εὐνοϊαν κη ἀγάπην πρὸς τὸ γένῶ τῶ Γερμανῶν, ἐφρόνισε με πολλήν ὀπμιέλειαν πισῶν κη ὁρθῶτατα νά μεταγλωττισθῆ εἰς κοινήν γλῶτταν τὸ ἱερόν εὐαγγέλιον, ἤγχεν εἰ τέσσαρες εὐαγγελιστῶ κη αἱ περῶξες κη αἱ ὀπισθολαἱ τῶ ἀγίων ἁποστόλων, κη ἡ ἁποκαλύψις τῶ ἀγίου Ἰωάννη, τὰ ὁποῖα περιέχουσι πᾶσαν τήν νέαν διαθήκην τῶ Δεσπότη κη σατῆῶ μᾶς Ἰησοῦ Χριστοῦ. Latine hunc sensum hæc Barbaro-Græca dabunt: *Hoc idem sciens & estimans, quantum utilitatem possit adferre, illustrissimus Dominus Cornelius Agas, qui hoc tempore Constantinopoli est Eminentissimorum & Inclitorum Dominorum Belgii, h. e. Flandriæ, Legatus, benevolentia & amore persecutus nationem Græcorum, curavit multa cum sollicitudine, ut fidelissimè & correctissimè in Linguam communem transferretur sacrum Evangelium,*

gelium, hoc est, quatuor Evangelistæ & Acta & Epistole Apostolorum & Apocalypsis sancti Johannis, qua totum Testamentum Novum Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI absolvunt. Hæc Patriarcha Cyrillus, de quo inferius paulo plura.

VII.

In fine totius operis habetur adhuc adjecta epistola purius Græca, quæ Editorum est, quibus operæ pretium fuerat visum, lectorem de uno & altero, tam ratione consensu inter textum originalem & Metaphrasin, quam ratione orthographiæ Neo-Græcæ monere. Sunt autem ferè tria, quæ in hac Epistola habentur, monita. Primum huc redit: Πρώτον, ἄλλη μὲν ἐκδόσει τὸν μεταφραστὴν, ἄλλη δὲ τὸν χαλκογράφον κερύει, ὅταν συνέβη τὸ ἀρχαῖον ἢ μὴ διαπαρτὸς τῆ μεταφράσει συμφωνεῖν. ἢ διὰ τὸ πάντως ἀναγκαῖον, ἢ ντινα ἀπ' ἄλλων ἐκδόσεων ἢ παρεμβάλλειν, ἢ ἢ ἀφαιρῆν, ὡς τὴν μεταφραστὴν τῷ ἀρχαῖῳ πάντῃσι συμφωνεῖν. h. e. Primum est, quod aliâ editione Metaphrastes, alia autem Typographus fuerit usus, unde accidit, ut Textus Originalis non ubique per omnia Metaphrasi consentiat; & propterea omnino necessarium est, hanc ex aliis editionibus aut supplere, aut concidere, quò Metaphrasis Textui originali omnino consentiat. Hoc monitum primum est. Succedit alterum, quod ita habet:

Ἐπειτα δὲ, συγχαίς τῶν σίχων ἔχ ὁμοίαν εἶναι, ὡς μίαν ἢ ἢ δύο λέξεις ἀπὸ τοῦ παρωτέρου εἰς τὸν ἔξῃς σίχον, ἢ ἢ ἀνάπαλι ἀναληπτέον. h. e. Deinde verò notandum, quod frequenter distinctio versicolorum non sit similis, adeo ut una aut dua voces ex precedente in subsequente, aut vice versa, sint adsumenda. Denique monitum illius Epistolæ Tertium his verbis constat: Τίτ' δὲ, τὴν τῆς μεταφράσεως ὀρθογραφίαν μὴ διμαρτυροῦν εἶναι, εἰ ἢ ἀδικασίαι δόξουν αἰ, οἱ γὰρ νῦν ἔλληνες ἀσάτους ἢ γέφρην ἢ λαλαῖν εἰκόασι, ἀκείβως γὰρ τῆ τῆ συγγραφῆς ὀρθογραφία συνκαλεθίσαιμεν, αὐτῶ ἔδεν διαφέρει τὸ ε τῷ αἰ, ἢ ἢ, ἢ, ἢ, εἰ, οἱ ἰσοδυναμῶντ' εἶναι, συγχαίει δὲ ἢ τὸ ο ἢ τὸ ω, ἢ ἄλλα τοιαῦτα, ἢ ἢ τῆς ἀναγνώσεως μαθεῖν εἶναι. h. e. Tandem vero

verò monemus, *Metaphrasis* orthographiam non esse vitiosam, licet quibusdam aliter possit videri. Accurate enim sumus Manuscripti exemplaris orthographiam secuti; ipsi non differt ε & αι; atque ι, η, υ, ει, οι eidem equipollentia sunt; confundit verò quoque ο & ω, & alia similia, quæ ex lectione addiscere licet. Hactenus potissima, quæ videbantur propter historiam literariam, ex epistolis, quibus Versio N. T. Barbaro-Græca, in editione illa prima, instructa habetur, excerpenda

VIII

Si quæras, in quo pretio hæc versio sit Græcis habita? Omnino respondendum fuerit, pretium vix adeo magnum illam fuisse consecutam in Græcia. Ita enim JEREMIAS, Sacerdos Græcus, qui Anno 1669, in Germaniam venit, in epistola quadam, quam Viennâ ad Excellentiss. Dn. D. JOH. OLEARIVM Anno 1670. dedit, quamque postea CL. HENRIC. HILARIVS suæ Appendici ad Philippi Cyprii Chronicon Ecclesie Græcæ, Oestern. e 3. seqq. inseruit; Ἐρωτᾷς, αἰτ, πωλεῖται ἡ καινὴ Διαθήκη παρ' ἡμῖν ἐρμηνευθῆσα εἰς κοινὴν γλώσσην; Ἰδ', ὅτι παρ' ἡμῖν ἡ καινὴ διαθήκη ἀναγιώσκεται γλώσση, ἢ γέγραπται, καὶ τούτην τινες μετέρμηνευσαν βαρβαροφώνως, ἀλλ' ἀρεστὸν ὦπται ἡ μετάφρασις, εἶδες γὰρ ὠνήσεται. h. c. Interrogas, utrum apud nos vendatur Novum Testamentum in linguam vulgarem translatum? Scito, quod apud nos N. T. legatur illa, qua conscriptum est lingua: Et licet quidam illud Barbarè interpretati sint; videtur tamen metaphrasis inutilis, utpote quam nemo emerit. Hic autem eventus non respondebat spei vel Maximi Calliopolitæ, vel Patriarchæ Cyrilli, vel Evergetarum Belgicorum, quæ illos ad hanc N. T. editionem induxerat.

IX.

Rationem successus minus exoptati putarim præcipuè duplicem esse: (1) Græcorum superstitiosam vetustatis veneratio-

nem & factum insignem, qui facile præfationem utramque, & maxime illa, quæ §. V. & VI. tam ex Maximi Calliopolitæ, quàm ex Patriarchæ Cyrilli epistola excerpseramus, in malam partem acceperat: (2) *Cyrilli Patriarchæ facta, & ex collusione cum Reformatis famam non obscuram*, quæ, quemadmodum Græci perquam offendebantur; ita non est mirum, quòd metaphrasin illam pro pignore istius habuerint collusionis, & idcirco totam operam parvi fecerint. His si quis velit (3) addere rationem ex nimio (quod prolixitas operis & nitor elegantium characterum postulabant) pretio; fortè non adeo aberrarit à scopo. In nostris terris Exemplar (quo ego quondam ex favore Celebrissimi Possessoris sum usus, & unde varia excerpta Benevolo Lectori jam comunicavi) B. Prof. Kœnigio nostro, quem §. V. jam laudavimus, sex constitit florenis, sive quatuor imperialibus: Unde facile conijcere licet, in Oriente pretium non potuisse esse minus, quod homines fortis tenuioris vix uni libro impenderint? Planè igitur verum fuerit, quod dixerat Jeremias, illam metaphrasin inter suos Græculos, paucos habuisse emturientes.

X.

De Cyrillo Lucario, Patriarcha Constantinopolitano, qui nostram Metaphrasin omnibus modis promovit, plura jam inter doctos leguntur. Non enim modò haud pauca de hujus Patriarchæ vita, conatibus & factis exstant in CYPRII Chronico Ecclesiæ Græcæ ab Hilario, cujus paulò ante meminimus, edito, pag. 439. seqq. itemque in JON. HORNBECCII Summa Controversiarum Libr. XI. pag. 284. seqq. in HOTTINGERI, aliorumque monumentis literariis; Sed etiam ex Archivis Legatorum Anglicorum ad Portam Otto-

Ottomanicam, quàm plurima de hoc Patriarcha in lucem protrahere & orbi persuadere est annifus THOMAS SMITH, Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter in *Miscellaneis*, quæ vocat, Londini Anno 1686. editis, ubi ex instituto *Vitam, Studia, Gesta & Martyrium Cyrilli Lucarii, Patriarchæ Constantinopolitani*, à pag. 49. usque ad pag. 130. enarravit. Nos non nisi pauca, & quidem illa solum delibabimus, quæ quendam cum nostræ Versionis Barbaro-Græcæ fati nexum habere videbuntur.

XI,

Certum est, Cyrillum, cum has terras, antequam ad fastigium Patriarchale eveheretur, perlustraret, familiaritatem contraxisse cum Protestantium Ecclesiis, præcipue autem ipsum mirum in modum juvisse Reformatorem placita. Doctus ergo simul & prudens judicatus, cum rediisset in Orientem, magnis rebus admovebatur. Patronum in Oriente habuit præcipuum, imo & Præceptorem ac *συνεπιτίμη* (ambo enim ex Candia natales derivabant) MELETIVM, cognomento Pegam, cui tandem in sede Patriarchali Alexandrina Successor fuit datus: Abhinc in sedem Patriarchalem Constantinopolitanam, Anno MDCXXI. evocatus, per varia fata & rerum discrimina, sæpius ex hac sede turbatus & ex exiliis revocatus, sedique Patriarchali restitutus fuit, donec denique Anno MDCXXXIIX. invidorum stratagematibus succubisset, atque Imperatore Turcico absente, à Musa Bassa, regni Procuratore, operam dante Berrhœensi, Cyrillo, & concursu aliquot Methymnæorum interfectus fuisset. Conf. *Chronic. Eccles. Græc. PHILIPPI CYPRII*, pag. 440.

XII.

Inter ejus *Gesta* præcipua erat (1) quoddam Barbariei & pigritiæ Græcorum bellum quasi juratum in-

dixerit, atque quovis modo fuerit conatus, bonas literas revocare in Græciam, suisque Ecclesiis, excussis antiquâ ruditate & superstitione, solidiorem rerum divinarum notitiam ex sacris Bibliis instillare. Hinc invidiam non modò plurium Græculorum, tanquam novaturiens, in se derivavit, sed præcipuè pluribus Ecclesiæ Pontificiæ auctoritati & incremento operam navantibus bilem eatenus commovit, ut Aulam Turcicam tantùm non fatigarent, donec Cyrilli hujus supplicium consequerentur.

XIII.

Patronis in hac Barbariæ medela est usus Oratoribus Belgico & Anglicano, quorum dexteritate, auctoritate & sumtibus varia præstitit. Huc pertinet (a) *Typographia*, quam Londino Constantinopolin pertulerat Cologerus quidam, NICODEMVS METAXA, ortu Cephaleniensis, cujus fata egregiè enarravit laudatus Theologus Anglus, *Thomas Smith*, p. 92. seqq. Etsi enim ad invidiam novæ inter Græcos artis declinandam, Cyrillus noster auctoritatem Oratoris Anglici prætexeret, qui hanc typographiam, quasi sui esset peculii, Vizirio commendabat: postquam tamen Cyrillus ad calumnias de se sparsas dispellendas, edi curasset *Libellum de Fide & Doctrina Ecclesiæ Græcæ*; adeo irritavit adversarios Jesuitas, ut extrema novæ typographiæ jurarent. *Cum enim alius Cyrilli liber in illorum manus diligenti cura questus, in Anglia pridem editus, tandem incidisset, in quo beatissimi nostri Salvatoris Domini Jesu Christi divinitatem contra Judæos & Mahomedanos adstruxerat, quicquid acrius dictum adversus horum præsertim deliria, qui hoc necessarium Christianæ fidei dogma risu & sanis excipere solent, disputaverit, accuratè excerpunt, nimirum quod bilem moveat Turcis, quibus totum illud horribile arcanum revelandum curant ope cujusdam callidi nebulonis apud Viziri-*

Vizirium summâ gratiâ valentis, quocum propositâ mercede egeret, ut hac, si Diis placet, infami & blasphemiarum plena charta in ipsius manus tradita, simul in aurem diceret, Metaxam sub monachali habitu militem agere, illumque esse artis bellicæ peritissimum; libris his editis Græcos ubi ubi per Imperium sparsos ad seditiones incitari posse, & ad fidem Alcorani oppugnandam facile patere viam, cujus rei libellus iste Cyrilli clarum erat indicium specimenque; hujus copiam, procurante Metaxâ ex Anglia reduce, jamjam ubique prostare venalem &c. Verba hæc sunt desumpta ex citatis Miscellaneis Thomæ Smith, pag. 97. 98. Non potest dici, quantum applausum hæc apud Vizirium calumnia habuerit, qui zelo Religionis & Imperii accensus, eam instituit tragœdiam, quam nemo aptud cit. Smithium pag. 98. 99. seqq. sine commiseratione legerit, nisi qui omnem conscientiæ curam & justî amorem, per Statisticæ philtra perdidit.

XIII.

Barbariei (β) idem Cyrillus voluerat mederi per *Novi Testamenti in linguam vulgarem translationem*. Huc referri debent loca, quæ s. V. & VI. ex *Maximi Calliopolitæ & Cyrilli Lucarii Præfationibus* ad Novi Testamenti Versionem Barbaro-Græcam attulimus, unde satis de scopo operis constat. Confer quæ infra s. XLVII. ex *Seraphimi Præfatione* damus: ut alia plura Cyrilli specimina huc facientia nunc omittamus.

XV.

Ad *Gesta Cyrilli* nostri præcipua meritò (2) nos quoque referimus ipsius cum *Ecclesiâ Reformatorum consensum*, quem titulo non uno meditari est Græcis suis, & aliis quoque visus. Nimirum edidit *Cyrilli Confessionem*

sionem fidei, idiomate Latino *A. C. 1629.* Orator Belgicus,
 Cornelius de Haga (quem vulgo **Cornelium**
Agam vocant) ut est apud *Smithium cit. loc. pag. 104.*
 Eandem ipse Patriarcha editurus fuisset Græcè, nisi Typographia
 Metaxæ infelici fato (de quo supra) fuisset destructa. Hæc confessio
 primò à Romanis est in dubium vocata, quasi fictitia esset &
 Cyrilli nomen tantum mentiretur; mox autem confutata fuit
 scripto, quod *Rome 1631.* Latine hoc prodiit titulo : *Censura Con-*
fessionis fidei, seu potius perfidiæ Calvinianæ, quæ nomine Cyrilli Pa-
triarchæ Constantinopolitani circumfertur. Auctor Censuræ erat
Matthæus Cariophilus, genere & ortu Cretensis, titu-
 lotenus, Archiepiscopus Iconiensis. Confutatio hæc anno se-
 quente Græcè quoque conspexit lucem. Cyrillus Patriarcha,
 Romanæ curiæ molimina videns, Latinum suæ Confessionis tex-
 tum Græcè convertit, & quatuor questionum & responsionum
 appendice auxit, quæ tandem *Genevæ Anno 1633.* excudebatur.

XVI.

Hoc pacto suam auctoritatem conciliabat quidem suæ
 Confessioni Patriarcha; sibi autem simul invidiam Jesuitarum, &
 Græculorum divortia parabat. Vide quæ *Smithius* pluribus in
 hanc rem adfert, *pag. 107. seqq.* Sanè Gallicus Orator, Comes
 de Marca Villa, prinitus conveniens Cyrillum eidem indicabat,
Eminentiam ejus (ira enim compellabat Cyrillum) *Rome & in*
Gallia pro Calvinista haberi, quam sectam Rex Christianissimus
odio habeat. Cum autem nollet Patriarcha recedere à sua con-
 fessione; ultima tandem adversæ partis molimina sibi expectan-
 da esse facile prævidebat. Perpetiebatur varias calamitates &
 tandem ultimum supplicium, quanquam non ex Religionis præ-
 textu, sed ex criminationibus & calumniis adversariorum, quasi
 nemo ad rebellionem promptior, nemo aptior esset, Cyrillò : cujus
 sceleris

fecleris cum toties falso accusatus, toties etiam ejusdem purus declaratus, & ideo in sedem suam revocatus fuisset; tandem malitiae calumniatorum, quibus alia causa in corde, alius praetextus in ore erat, succubuit Anno 1638.

XVII.

Quicquid autem hujus sit : Hoc certe temere quisquam vix negarit, ipsum Reformatorum, & praecipue **Johannis Calvini** insignem admiratore fuisse. Exstat fragmentum epistolae Italicae, quam hic Cyrillus, (utpote linguae Italicae non imperitus) ex suo ad amicum dederat, exilio, apud **Hornbeccium** in *Summa controvers.* pag. m. 985. quae hoc satis probat. Verba ipsa dabimus Lectori curioso, quae haec sunt : *Per cio ho voluto scriver à V.R. e contestarvi, che mi siate testimonio, se io muoro, ch'è io muoia Catholico orthodoxo nella fede del N. S. Gesu Christo, nella dottrina Evangelica, conforme la confessione Belgica, la confessione mia, e le altre delle chiese Evangeliche, che sono tutti conformi : abhorrisco li errori delli Papisti, & le superstitioni delli Greci: provo & abbraccio la dottrina del Dottore meritissimo, Giovanne Calvino, & di tutti, che sento no con lui. In questo voglio che mi siate testimonio, perche con sincera coscienza cosi tengo, cosi professò e confessò, come anco la mia Confessione mostra : & raccomandando a voi questo deposito, caso che morissè, di farne partecipi tutti li fratelli Christiani orthodoxi, e mi raccomando alle preghiere di V.R. li 15. 25. di Marzo. Cyrillo, Patriarcha di Constantinopoli, h. e. Propterea volui scribere ad V.R. vosq. obtestari, ut mihi sitis testimonio, si fuero mortuus, quod mortuus sim, tanquam Catholicus orthodoxus in fide D. N. Jesu Christi, in doctrina Evangelica, conformi Confessione Belgica & mea Confessione*

„fessionem, & reliquis Ecclesiis Evangelicis, quae omnes conformes
 „sunt. Horreri mihi sunt errores Papistarum & superstitiones
 „Graecorum; probo autem & amplector doctrinam Doctoris me-
 „ritissimi, **Johannis Calvini** & omnium, quicum co sen-
 „tiunt. In hoc, ut mihi sitis testis, volo; nam ex conscientia
 „sincera sic sentio, sic profiteor & confiteor, quemadmodum etiam
 „mea Confessio monstrat. Et vobis commendo hoc depositum, posito
 „quod mihi sit moriendum, ut nempe illius reddatis participes
 „casu, omnes fratres orthodoxos Christianos, meq; comendo preci-
 „bus V. R. d. 15. 25. Martii, **Cyrillus Patriarcha**
Constantinopolitanus.

XVIII.

Quid? Nec ipsa Calliopolitæ Metaphrasis credebatur Cal-
 vinismi suspicione carere. Putabant enim plures, ipsum pas-
 sim in Metaphrasi & Notis, (quas non nisi brevissimas versionis suæ
 hinc inde adjecit) à **Theodori Bezae** nutu pependisse. Res
 tamen non adeo liquida videtur: quanquam constet, vel ex no-
 stratibus non defuisse, qui Bezae versionem pro optima habe-
 rent, quos inter nomen celebre est B. DN. **BALTHASARIS**
STOLBERGII, de quo vide **Adolphum Clarmundum**
in Vita Erasmi, p. m. 11. Hinc non mirum, sicubi Cyrillus & Ma-
 ximus Calliopolites maluerint quoq; cum Beza sentire, atq; hu-
 jus potius, quam aliorum mentem sequi. De reliquo jam supra
 §. VII. monuimus, Editores dissensum, qui quandoque inter tex-
 tum originalem & metaphrasin Neo-Græcam observatur, ex alio
 fonte deduxisse, videlicet, quòd Calliopolites sit alio exemplari
 Græco usus. Sed transeant ista.

XIX.

Hoc interim non est insuper habendum, quòd **Hieromo-
 nachus SERAPHEIM**, qui anno 1703. **Lon-
 dini,**

dini, in forma duodecima, **Novum Testamentum Græco-Barbarum** denuò edidit, non modò omiserit in hac sua editione Textum Græcum Authenticum, ut sumtibus parceret; sed etiam quòd neglexerit Epistolas **Cyrilli Lucarii**, Patriarchæ, & **Maximi Calliopolitæ**, metaphraseos hujus auctoris, & quæ sunt similia in prima editione, quam hæcenus recensuimus, reperiunda. Quid? ne Notas quidem, quibus hinc inde Calliopolites suam metaphrasin illustravit, servandas esse censuit, verùm potius ita totum opus refinxit, ut omninò videri queat, maculam, aut saltem invidiam, quam hæc Metaphrasis ex Cyrilli Patriarchæ conatibus quondam contraxerat, vel silentio interposito, absterfus.

XX.

Nimirum in hac nova editione, (fortassis ne plagium commisisse videretur Seraphimus noster) equidem fatetur in libri titulo (quem s. seq. integrum dabimus) Maximum Calliopolitem metaphraseos ipsius auctorem; attamen mox omnibus illis, quæ Patriarcha Cyrillus & Maximus ipse præfati erant, abjectis, suam planè novam præfationem substituit, & in hac ex emendatione & revisione, cumque aliis versionibus, imò & Patriarchæ, collatione, hanc alteram metaphraseos editionem ita sibi vindicat, ut satis appareat, voluisse ipsum hanc suam operam à primorum editorum cura prorsus diversam haberi.

XXI.

Titulus totus novæ hujus editionis hic est: Ἡ καινὴ Διαθήκη ἔχει καὶ Σωτῆρ ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστῶ, μετὰ Φρασεῖσιν σα πρὸς ἁγίων ἰκανῶν εἰς περὶν Φρασίαν διὰ τὴν κοινὴν ὠφέλειαν τῶν Χριστιανῶν ἐν τῷ ἐν Ἱερομονάχου Μαξίμου ἔ Καλλιπολίτου, ἢ νῦν τυποθεῖσα διωρθώσει Σεραφείμ, Ἱερομονάχου ἔ Μιτυληναίου. Ἐν Λονδίῳ τῆς Βρετανίας, ἐν εἰσι σωτηρία α, ψ, γ, αὐτῶν

C

BEN

Βενιαμὴν Μοτταῖω h. e. *Novum Testamentum Domini & Salvatoris nostri IESV CHRISTI, translatum ante plures annos in linguam vulgarem pro communi Christianorum usu, per Hieromonachum, Maximum Calliupolitem, & nunc denuo excusum ex correctione Seraphimi, Hieromonachi Mitylenensis.* Londini Britannia, anno salutis, MDCCIII. apud Benjaminum Mottam.

XXII.

Juvat præterea ex præfatione Hieromonachi nostri Barbaro-Græcicidem quædam excerpte, quæ ad negotium præfens faciunt & nostræ versionis, ejusque editionum historiam illustant. Postquam nempe noster Seraphimus in sua præfatione plura de lectione sacre Scripturæ eleganter disputasset, & omnino contendisset, in gratiam populi versiones exstare debere, tandem circa medium præfationis ita pergit: *Διὰ τῶτο*
λοιπὸν βλέποντας τὴν εἴησιν ἔ ταύτε ἀγαθὲ εἰς τὸ γένθ
μαῖς θεῖω ζήλω κινήθεις καὶ ἀφ' τινῶν θεοσεβῶν ὁρακινήθεις
(καὶ περ ἀνάξισθ ὦν ἔ τοῖσδε ἔργα) με τὸ νὰ ἔρω περὶ ἐξηγη-
μέηην τὴν θεῖαν γραφὴν εἰς πεζὴν φρασίν, τὴν ἐμελετύπωσα,
διορθώσας μερικὰ, συμβάλλοντάς τε με ἄλλαις μετάφρασαις
ἀκολουθῶν καὶ τὴν ἐξηγήσιν τῶν ἁγίων πατέρων εἰς ὠφέλειαν τῶν εὐσε-
βῶν καὶ ὀρθοδόξων Χριστιανῶν, ἑξαιρέτως διὰ τινὰς ἱερεῖς καὶ μερικὰς
δοκίμους, ὅπῃ δὲν καταλαμβάνουσιν τὴν ἑλληνικὴν γλῶσσαν,
διὰ νὰ ἔθελαν ἡμπορέση με τὴν βοήθειαν ἔ παναγίᾳ πνεύματ
τῶ με τὴν ἀνάγνωσιν τῆς κοινῆς νὰ καταλάβουσι τίποτες ἀπὸ
τὸ πνεύματ, διὰ νὰ τὸ μελετώουσιν εἰς τὰς ἀπολύς Χριστιαν
὆ντες πρὸς ὠφέλειαν καὶ ψυχικὴν σωτηρίαν αὐτῶν καὶ δόξαν ἔ Θεῶ.
h. e. Propterea igitur, cum viderem defectum tanti boni, in
nostram gentem zelo divino commotus & à quibusdam piis
permo.

permotus (indignus quippe tanto opere) postquam inveneram⁶ antea translata[m] divinam scripturam in vulgarem linguam, eandem recudi curavi, quadam corrigens & conferens cum aliis versionibus, secutus etiam expositionem sanctorum Patrum, in usum piorum & orthodoxorum Christianorum, precipue autem propter quosdam Sacerdotes & quosdam Archidiaconos, qui non adsequuntur Græcam linguam, ut possint per auxilium Spiritus Sancti, mediante lectione versionis vulgaris, adsequi aliquid ex originali textu, quod communicent cum simplicibus Christianis, ad utilitatem & spiritualem salutem ipsorum. DE Ique gloriam. Hæc Seraphimus ipse de sua editione Versionis Barbaro-Græcæ secunda.

XXIII.

Quemadmodum autem ipse in adductis verbis per *Divinam Scripturam* intellexit solum Novum Testamentum, quod lingua Græcæ Ecclesiæ Christi conceditum est: ita non negarim, extare etiam aliqua V. T. Barbaro-Græcæ. Argumento mihi sunt *Acta Eruditorum*, quæ Lipsiæ edi solent, in quibus Anno 1689. pag. 116. ex *Richardi Simonis Critica Historia N. T. libr. I. cap. VI.* refertur, *Pentateuchum tum Hispanicè, tum Barbaro-Græcè unà cum textu Ebræo & Paraphrasæ Chaldaeo, Constantinopoli Anno 1547. impressum esse.* Cum autem nihil horum unquam oculis usurparim; nihil habeo etiam quod de iisdem tester.

XXIV.

Saltem quæ hætenus sunt prolata, evincunt, quod Græci versionem in linguam vulgarem minus reformident, atque ille **Cardinalis**, qui conspectâ versione Bibliorum vulgari Italica, quam **SIXTVS V. Papa**, evulgaverat, exclamavit: O la

C 2

Chie-

Chiesa di Dio perirà, o questo Papa morrà!
 h. e. Aut Ecclesia DEI peribit, aut iste Papa morietur!
 Historiam hanc pluribus ex documentis non contemnendis edocuit etiam post fata suprema Venerandus noster ex suis secundis nuptiis Pater, D. N. D. WAGENSE ILIVS (qui nuper non sine rei literariæ, de qua immortaliter fuerat meritis, luctu, ad æterna gaudia transit) in insigni & nunquam satis laudata **Præfatione ad Tela ignea Satanae**, pag. 25: Ad quam Lectorem benevolum remittimus. Nos hoc Catone contenti, hac vice quiescimus, alio tempore, si DEVS vitam & vires dederit, fortè plura in Philologiæ Barbaro-Græcæ usum daturi.

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA RESPONENTIS.

I.
AB incertitudine loci impressionis (& fortè aliarum circumstantiarum) non licet in præjudicium operis cuiusdam ipsius argumentari.

II. An lingua Barbaro-Græca, quia quoad Analogiam Grammaticam etiam à veteri Græcâ differt, novum linguæ genus constituat?

III. Falluntur, qui linguam Barbaro-Græcam cultum minimè mereri affirmant, eamque ut ignotam & nimis obscuram viliperdunt & rejiciunt.

IV. Linguam Græcam hodie triplicem esse, inquit CRVSIVS in Turco-Græcâ 1. Antiquam & puram, 2. Ecclesiasticam, 3. Vulgarem. Confer Henrici Hilarii Append. ad Philippi Cyprii Chronic. Eccles. Græc. octern. è 2. seqq.

V. Laudatus CRVSIVS in Turco-Græcia fol. 185. semet ipsum πῶτον Introductorem Barbaro-Græcæ linguæ in nostram Germaniam, non planè præter rem nuncupavit.

00 A 6354
VD 18

ULB Halle 3
002 842 548



JK

VD 17

Reho ✓







DISSERTATIO
HISTORICO - PHILOLOGICO - THEOLOGICA
De
VERSIONE NOVI
TESTAMENTI,
BARBARO-GRÆCA,

Quam
DEO DANTE,
SUB PRÆSIDIO
JOH. MICH. LANGII,
Theol. Doct. & Prof. Publ. Ordin. h.t.
suæ Facultatis Decani, nec non Verbi Divini
Ministri,

H. L. L. C.

d. XXI. Octobr. Anno MDCCCV.

Disquisitioni publicæ subjiçiet

JOH. MICHAEL DOEDERLINUS,
Weissenburgo-Francus.

ALTDORF,
Literis Jodoci Wilhelmi Kohlesii.

Handwritten initials

